IN FUNERE REVERENDISSIMI PATRIS ISIDORI MANCINII EX ORDINE MINIMORUM...



IN FUNERE

REVERENDISSIMI PATRIS

ISIDORI MANCINII

EX ORDINE MINIMORUM

ORATIO

HABITA

A REV. P. F. ANGELO MONCADA ORD. PRAEDICAT.
IN COLL. URB. DE PROPAGANDA FIDE PHILOSOPHIAE
PRAECEPTORE.



ROMAE, CIↃIↃCCLVI.
EX TYPOGRAPHIA ANGELI ROTILII
IN AEDIBUS DE MAXIMIS.

SUPERIORUM FACULTATE.

IMPRIMATUR.


Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Patriarch. Constatinop.



IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ordinis Praedicatorum Revereudissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Mag. Socius.



O R A T I O.



SIDORUM MANCINIUM, illum, illum inquam, cui florens etiamnum aetas, nequedum annum quadragesimum quartum praetergressa, diuturnam vitae usuram, robur viresque corporis, secundam ac prosperam valetudinem, institutus ad omnem laudem vitae cursus altissimos quosque atque amplissimos honorum gradus, studia hominum erga eum summa atque flagrantia certissimam suffragationem atque omnia adjumenta polliceri, & quodammodo offerre videbantur, repente, praeter omnium expectationem, contraque omnium vota, alienissimo suorum, atque adeo Reipublicae tem-

pore, mortifero morbo ſublatum, proh dolor! amiſimus. Me miſerum! Cur ego in tam acerbo luctuoſoque caſu cum univerſa civitate moerere, ac tacitus in ſolitudine ac tenebris lugere non ſinor? Saltem ſpatium, dum ſe dolor frangeret, ornatiſſimi Minimorum familiae ſodales, tribuiſſetis. Pauculis nocturnis horis, iiſque in dolore luctuque conſumtis, quid potui ad conſolandum vos excogitare, qui, ſtudiorum meorum hoc duce tanto atque praeſide orbatus conſolatione omnium maxime indigeam? Nunc, quoniam me loqui voluiſtis, ita loquar, ut ſerviam tamen dolori meo; voſque a luctu non modo oratione mea non abducam, ſed ut a luctu ne a quoquam in poſterum abduci velitis, adhortabor. Sic enim ſentio, jure a vobis in ISIDORI MANCINII obitu acerbiſſimum dolorem eſſe ſuſceptum, nec eum ab iiſdem vobis poſſe aliquando deponi, quin eximiae MANCINII virtutis memoriam, per ſummam injuriam, abjeciſſe videamini.

Eſt ne igitur quidquam, in omni hominum vita, virtute amabilius? Scilicet illius

lius in animis noſtris ſpeciem pulcherrimam natura ipſa informavit, eadem amores mirificos inchoavit. Ad illam enim infantes ferimur, atque illius pulchritudine mirifice oblectamur; tantumque capimur honeſti ſpecie, ut, ſiquando etiam ab honeſtate receſſerimus, honeſtos tamen homines diligamus. Hinc vehementer nos angi neceſſe eſt, ſi diſtrahi a nobis quempiam divellique contigerit, cujus cum virtute mores conjunctos eſſe intellexerimus. Etenim, quo majore in amore eſt illud, quo fruimur, eo graviorem ex illius amiſſione conſequi dolorem & luctum oportet. Mancinii autem virtus illa divina, & propemodum incredibilis, quem non alliceret, atque ad ſui amorem raperet? Nam cum omnis virtutis, atque honeſtatis duo ſint initia, & quaſi fontes, ex quorum altero adverſus Deum, ex altero adverſus homines officia oriuntur, maximeque ſint iſta inter ſe copulata, atque conjuncta, ut minime ſeparari poſſint; tantum ille hominibus tribuebat, ut primas ſe Deo debere intelligeret. Itaque nihil prius habuit,

nihil antiquius, quam ut Canonicas Ecclesiae preces ad Deum funderet, sacrisque castissime operaretur. Adiisses hominem summo mane negotii caussa; offendisses Deo, aut Deiparae supplicantem: nihilque umquam humani operis est aggressus, antequam Divina perfecisset. Quid? Miramur, antiquissimam illi rerum divinarum curam fuisse, qui humanas omnes contemnere, ac pro nihilo ducere tam mature instituisset? Paullam in Calabria patriam sortitus, ibique honestissimo loco natus, adolescens, ac pene puer tertiodecimo nempe aetatis anno, ad Minimorum sodalium aedes, ubi se Deo totum dederet, advolavit: coepitque jam inde ex eo tempore ita ad caelestia animo ferri, ut neque studiorum summa contentio (in quibus, sive discipulus Consentiae, ac Romae, sive Magister Romae, ac Neapoli longe aequalibus suis, atque etiam majoribus natu praestitit) neque Praefecturarum, ac munerum multiplex, atque assidua occupatio, hominis mentem a prima illa cogitatione umquam deduxerit. Nolite vero existimare aut inter-

ter-

termiſſum ab eo fuiſſe, aut certe remiſſum vivendi hoc inſtitutum, cum ad ſodalium ſuorum gubernationem a ſupremo Ordinis moderatore haud ita pridem eſt evocatus. Idem enim ei ſemper curſus vitae fuit, eadem ratio. Roma iter cogitabat in Hiſpaniam, ceteraſque Europae longinquas regiones Minimorum Familiae Praeceptor ſummus, ac Parens. Erat autem ei propoſitum, ſui Ordinis domos, atque coenobia, quae ſunt ab Italia remotiora, ex majorum conſuetudine, atque praeſcripto luſtrare. Itaque de eo homine deligendo ſecum ipſe cogitat, qui res italicas, abſente ſe, adminiſtrare ſapienter poſſit. Non diu deliberandum ei fuit. Obverſabatur enim illius animo MANCINII probitas eximia, & prudentia non vulgaris. Hunc igitur advocat, ſui conſilii participem facit, Vicarium generalem creat. Incredibile profecto eſt, Auditores, quanta omnium ſit laetitia conſecuta. Univerſi MANCINIO gratulantur, univerſi ſe, ſuaque omnia eidem deferunt ac pollicentur, Patris eum loco habent, ac venerantur. Nec vero fefellit eorum

ſpem

ſpem, atque expectationem eventus. Etenim quidquid benignitatis, quidquid beneficiorum potuit a Mancinio proficiſci, in eos ſane liberaliter collatum eſt. Nihil boni ab eo petierunt, quod non impetrarint: in ſontes vero, ſi qui aliquando exiſterent, ita demum ad animadvertendum paratus erat, ut facile a ſe ſupplicium deprecarentur, quos & facti ſui paeniteret, & certa ſpes eſſet, etiam non adhibita animadverſione, in officio futuros. Ita ille ſeveritatem clementia, clementiam ſeveritate temperabat. Qua ſane conjunctione factum eſt, ut ſuis, quibus pro auctoritate imperabat, ſemper ſatisfaceret. Nec vero non item externos, atque alienos ſibi mira quadam cum morum ſuavitate, tum ſermonis affabilitate conciliabat. Atque ille quidem dabat ſe omnibus. Quidquid illi erat a neceſſariis occupationibus otii, totum id aliorum temporibus impendebat. Quare quotidiani ad illum fiebant hominum concurſus, quibus tum conſilio, tum opera, quantum quidem facultas patiebatur, minime deerat. Quanquam quid ego

ego plura de Mancinii ſingulari in Deum religione , erga homines caritate , gubernandi dexteritate , & ſcientia , miſeratione in egenos , in omnes beneficentia dicam? Neque haec , neque alia virtutum ejus exempla , temporis anguſtiae , in quas concludenda mea haec oratio eſt , complecti me , ac perſequi ſinunt. Itaque tacitus praetermittam aequabilitatem illam , animique conſtantiam , qua & adverſas res tolerabat , nec ſecundis efferebatur ; ſilentio praeteribo deſpicientiam illam , contemtumque ſui , quo , quantum ſe ſummis honoribus dignum virtutis actione continenti praebebat , tantum ne infimos quidem ſibi deberi exiſtimabat . Jam vero nihil attinet commemorare quantum ſemper ſcribendo , loquendoque caverit , ne quidpiam de aliorum exiſtimatione detraheret ; quantum ab omni litteraria etiam contentione abhorruerit ; quantum ſe ad illorum arbitrium , ac voluntatem , in quorum imperio , & poteſtate erat , accommodarit . Unum breviter dicam , Mancinii mentem fuiſſe ad omnem virtutem a natura factam , eumque ab ipſa ado-

adolescentia tantum in ea profecisse, quantum pauci solent confirmata jam, & matura aetate; neque eum a vitio ad virtutem, a turpitudine ad honestatem esse revocatum; verum initio statim a laude facto semper ad laudabiliora processisse: utquantum proni sunt in vitium plurimi atque proclives, tantum ipse alacer ad virtutem erectusque videretur.

Nunc quoniam de ISIDORI MANCINII adversus Deum hominesque pietate haec pauca de multis ac breviter diximus, quae satis tamen efficiunt, ut quantum damni in tam praestantis tamque omni laude cumulati viri morte fecerimus, intelligamus; nonnulla etiam de ipsius ingenii doctrinaeque divina pene facultate dicemus; quo magis in tantae, & tantam ad gloriam efflorescentis sapientiae jactura doleamus. Quamquam possumus sane hoc loco, qui certe est uberrimus, sine cujusquam reprehensione esse breviores. Etenim MANCINII excellens ingenium singularisque doctrina non valde desiderat orationem nostram; cum hujus totius nostrae Urbis tot academiae & quasi domicilia sapientiae MANCINIUM di-

disputantem exceperint, audiverint, numquam sine laudis significatione dimiserint. Parietes mihi quidem ipsi Romani ipsius Lycei, cui ab Sapientia nomen datum est, toto orbe celebratissimi, quodammodo videntur vocem continere non posse; iidemque MANCINIUM veterem cultorem studiorum suorum, & quasi vindicem compellare: nos te, MANCINI, pene adolescentem complexi sumus; tibi nos & doctrinam, & dignitatem, & dignitatis insignia tradidimus. At vero quantum a nobis in te honoris collatum est, tantum ipsi a te ornamenti ac splendoris accepimus: ut nihil tu nobis debere, quod, quae acceperis, cumulate reddideris, sed nos tibi potius plurimum debere videamur. Has equidem videor Gymnasii nostri omnium principis haurire auribus voces, MANCINII doctrinae singularis, & praestantissimi ingenii testes. Verum opus non est, ut ego res hinc remotas, & sermonis usu destitutas, loquentes inducam. Vos, Vos inquam, qui hic adestis, quique illum saepe, dum viveret, de gravissimis rebus disserentem audistis, testes esse volo, laudatoresque MANCINII in omni di-

disciplinarum genere eruditionis atque doctrinae. Quoties, cum de Caelitibus Sanctorum fastis adscribendis difficilior controversia incidisset, MANCINII sententiam & plurimum efflagitastis, & maximi faciendam esse decrevistis? quoties, cum de abditissimis atque obscurissimis rerum fide divina credendarum quaestionibus ageretur, illum, ut sententiam diceret, rogavistis, quam cum dixisset, eamdem firmam & ratam haberi voluistis? Itaque omnium sapientium communis ea vox erat, illud apte atque tuto dijudicari, quod MANCINII suffragio dijudicaretur. De cujus viri in Theologicis rebus facultate cum late opinio percrebuisset, eamque Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. esse verissimam comperisset, continuo de eodem ornando, amplificandaque ejus dignitate cogitare coepit. Accidit autem per id tempus, ut, Thoma Sergio viro doctissimo eodemque modestissimo e vivis erepto, Collegii Urbani de Propaganda Fide studiorum praefectus esset illi subrogandus. Erant tum Romae, ut hodie sunt, eruntque semper, Viri docti plures ac probi, quibus

bus recte commissum iri tantum munus ab omnibus putaretur. Verum MANCINII tantam virtutem diutius sine praemio esse noluit Sapientissimus Pontifex; suaque sponte ac voluntate MANCINIUM, praeteritis ceteris, Gymnasio praeficit. In quo maximum is quidem tulit ingenii sui doctrinaeque fructum. Quid enim honorificentius ad commendationem & laudem omnium populorum, quam illum tanti a tanto Pontifice habitum esse, ut eo munere dignus judicaretur? BENEDICTUM sane XIV. cum nomino, videor mihi Sapientiam ipsam nominare: ut, qui ejus judicio probatus sit, ipsius Sapientiae judicio & quasi voce probatus esse videatur. Atque ejus quidem de summo viro opinionis illustriora argumenta fuisse nos habituros, si paullo vita MANCINIO diuturnior contigisset, non mea magis sententia est, quam hujus praedicatio Civitatis universae. Qua spe atque expectatione plerique commoti praecipiebant jam animo incredibilem voluptatem; nec modo homini, ejusque Ordini spectatissimo, verum etiam bonis omnibus non usitatam honoris accessionem futuram

ram

ram gratulabantur : nec dubitabant , quin tam egregia cum doctrina , tum virtus celsiore tandem in loco constituta & esset illustrior , & majores Reipublicae Christianae utilitates allatura . Sed me plura parantem dicere impedit dolor , in illa cogitatione defixum , non quantum boni ille moriens amiserit , sed quantis nos , illo mortuo, commodis exciderimus. Omnino magnam plagam, & , quemadmodum nunc quidem reor , insanabilem , in tam excellentis viri tam praepropera acerbaque morte accepimus. De se , ut quisque volet , sentiat , & de animi sui robore sibi suo arbitratu blandiatur . Equidem plane concidi , nec meam mentem post casum tam gravem , tamque inopinatum , meliorum ad rerum cogitationem possum traducere : ac valde vereor , ne aetas ipsa , quae vel magno dolori mederi solet , curam hanc meam longinquitate reddat graviorem . Dixi .

